Quelle: http://manuscripta.at/?ID=957
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

dominum se ac deum primus appellari iussit. Nullam sibi nisi auream aut argenteam
statuam passus est in capitolio poni. Consobrinos suos interfecit. Superbia
quoque in eo execrabilis fuit. Expeditiones IIII. habuit. unam aduer-
sus sarmatas. alteram aduersus cattos. duas aduersus dacos. De
dacis cattisque duplicem triumphum egit. De sarmatis solam lauream
usurpauit. multas tamen calamitates isdem bellis passus est. Nam a
sarmatis legio eius cum duce interfecta est. et a dacis oppius sabinus consula-
ris. et cornelius fuscus prefectus pretorio cum magnis exercitibus occisi sunt.
Rome quoque multa opera fecit. in his capitolium et forum transitorium diuorum
porticus isium ac serapium et stadium. Verum cum ob scelera uniuersis ex-
osus esse cepisset. interfectus est suorum coniuratione in palacio. anno etatis
XXXV. imperii XV. funus eius ingenti dedecore per uispelliones exporta-
tum. et ignobiliter est sepultum. Anno DCCC. et L. ab urbe condita. ueter-
e ualente consulibus. res publica ad prosperrimum statum rediit. bonis principi-
bus ingenti felicitate commissa. Domitiano enim exitiabili tyranno. Ner- Nerua
ua successit. uir in priuata uita moderatus. et strennuus nobilitatis
medie. qui senex admodum operam dante petronio secundo prefecto pretori-
o item parthenio interfectore domitiani. imperator est factus. Equissimum se et ci-
uilissimum prebuit. rei publice diuina prouisione consuluit. traianum ad-
optando. mortuus est rome post annum et IIII. menses imperii sui. ac dies
VII. etatis LXX. et altero anno. atque inter diuos relatus est. Successit ei
Traian. ulpius crinitus traianus. natus italice in hispania. familia antiqua clara. Nam
pater eius primum consul fuit. imperator autem apud agrippinam in gallis factus est. Rem
ita publicam amministrauit. ut omnibus principibus merito preferatur. inusita-
te ciuilitatis et fortitudinis romani imperii quod post augustum defensum
magis fuerat quam nobiliter ampliatum. fines longe lateque diffudit.
Urbes trans renum in germania reparauit. daciam decibalo uicto sub-
egit. prouincia trans danubium facta. his agris quos taifali nunc uictoali et
thuringi habent. Ea prouincia decies centena milia passuum in cir-
cuitu tenuit. Armeniam quam occupauerant parthi recepit. sar-